

DE INFANTIBUS EXPOSITIS LIBERIS ET SERVIS
ET DE HIS QUI SANGUINOLENTOS EMPTOS
VEL NUTRIENDOS ACCEPERUNT.

8.52.1

Imp. Alexander A. Claudio.

Si invito vel ignorantē te partus ancillae vel adscripticiae tuae expositus est,
repetere eum non prohiberis. Sed restitutio eius, si non a fure vindicaveris,
ita flet, ut, si qua in alendo eo vel forte ad discendum artificium iuste
consumpta fuerint, restitueris.

PP. III k. Jun. Iuliano et Crispino cons.

[a. 224]

8.52.2

Imppp. Valentinianus Valens et Gratianus AAA. ad Probum pp.

Unusquisque subolem suam nutriat, quod si exponendam putaverit,
animadversioni quae constituta est subiacebit.

1 ¶ Sed nec dominis vel patronis repetendi aditum relinquimus,
si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem voluntas misericordiae
amica collegerit: nec enim dicere suum poterit, quem pereuntem contempsit.

D. III non. Mart. Gratiano A. III et Equitio cons.

[a. 374]